



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

P R Æ F A T I O
A D L E C T O R E M.

NE ipso statim in limine odiosum & ingratum tibi Theologia Mystica nomen accadat, amice Lector, scire te velim, non presè me Theologiam Mysticam hoc loco sumere pro illo Habitu, qui in sublimi & Ecstatica contemplatione rerum celestium occupatur, & à Maximiliano Sandeo & alijs Notitia Contemplativa Sapida DEI & Divinorum definitur, nec non varios post se effectus admirandos, paucissimisque communicatos, puta secessum, intuitionem, silentium, suspensionem, quietem, ebrietatem, ructum, unionem, mortem, liquefactionem, fervorem, languorem, osculum, illapsum, tactum, amplexum, locutionem, auditionem, Ecstasim, raptum, apparitionem mysticam, trahit; hac enim uti non nisi ijs ordinariè communicatur, qui in sublimi perfectionis gradu constituti, per intimam cum DEO familiaritatem se ad ejusmodi donum & favorem extraordinarium percipiendum disposuerunt, ita divino potius, quam humano Magisterio addiscitur. Latius ergo nomen Theologia Mystica hic accipitur, pro illa Theologia parte, quæ in Mysteriorum divinorum affectuosa Meditatione occupatur, ita ut ex consideratione Mysteriorum non spirituales duntaxat sensus, & doctrinas ad Intellectum illustrandum pertinentes eruat, sed variis etiam motivis ad easdem doctrinas in praxin redigendas voluntatem impellat. Quà in acceptione secutus sum præcipuè Philippum Alegamben, qui in Bibliotheca Scriptorum Societatis IESU inter alios Titulos in Indice Materiarum positos, etiam hunc Titulum: Theologia Mystica sive Meditationes & Preces: ponit; ubi, ut patet, utique Theologia Mystica vocabulum latius accipit pro ea duntaxat Theologia parte, qua in Meditationibus & Precibus ritè perficiendis dirigit.

Quia vero ad ejusmodi Meditationes fructuose instituendas nusquam melior, quam in secessu spirituali, seu Exercitijs spiritualibus à S. Patre nostro ex singulari divini Spiritus instinctu excogitatis offertur occasio; hac autem Sacerdotibus ad animarum curam incumbentibus, vel

Præfatio.

Vel maxime suadenda sunt (quæ de causa Variis in locis etiam Congregationes Sacerdotum erectæ sunt, in quibus omnes inscripti Sacerdotes singulis annis per octo dies Exercitiis Spiritualibus Vacare iubentur) ideo ut ejusmodi Sacerdotes, uti & alij sponte ea facere volentes, nec semper Directorem ad manum habentes, hoc suum saluberrimum propositum tanto facilius, fructuosiusque exequantur, visum est opera pretium futurum, si, uti in aliis ad eorum functiones pertinentibus materiis breves Instructiones subministravi, & adhuc, si Superiores annuerint, subministrare cogito (quarum omnium materiam in dedicatione septima Instructionis breviter indicavi) ita pro hac quoque saluberrima exercitatione succinctam, sed accuratam tamen, & dilucidam Instructionem componerem, in qua non generalia duntaxat principia Exercitiorum Spiritualium, sed ipsa quoque earundem praxis practicâ digestionem materia traderentur.

Non ignoro equidem quam plurimos à Variis Authoribus tractatus de hac materia fuisse compositos, sed qui plerumque jam supponant rudem saltem eorum, qua ad Exercitia Spiritualia pertinent, cognitionem; nec facile etiam Meditationes ad certos Hominum Status & species accommodant. Quare ut etiam quoad utrumque hoc caput nonnullum subsidium afferam Sacerdotibus, junioribus maxime, & in hac Theologia Mystica parùm exercitatis, duas in partes totum hunc Tractatum dividam; in quarum priore generalia principia ad cognoscendam Exercitiorum Spiritualium Formam, dignamque de ijs estimationem concipiendam pertinentia paullo fusiùs explicabo; in posteriore Verò, quomodo illa ipsa principia in particulari ad varios Hominum Status applicari possint, dilucidè ostendam, ut, quemadmodum in aliis, ita etiam in hac materia Varietas Sacerdotes delectet, & excitet. Faxit DEVS, ut, quem fructum Exercitia Spiritualia ab aliis composita in aliis multis pepererunt, eundem etiam simplex ista & brevis Instructio ad DEI majorem gloriam, Sacerdotum solatium, ac animarum salutem directâ reportet.

INDEX